COMPENDIUM
VITAE, VIRTUTUM, ET MIRACULORUM
NECNON
ACTORUM IN CAUSSA
CANONIZATIONIS
BEATI FRANCISCI CARACCIOLO

Sacerdotis professi, & Fundatoris Ordinis Clericorum Regularium Minorum

Ex Monumentis Sacr. Rituum Congreg.



ROMÆ MDCCCVII.

Apud Lazarinum Rev. Cam. Apost. Typographum





Decimosexto a Virginis partu jam convergente sæculo, quod christianæ Religionis heroum numero, & celebritate apprime claruit, anno scilicet millesimo quingentesimo sexagesimo tertio die decima tertia Octobris in Aprutii oppido Sanctæ Mariæ de Villa ortus est FRANCISCUS; cujus Pater Ferdinandus ex prænobili Familia CARACCIOLO, ac prædicti Oppidi Dominus; Mater vero Isabella Barattucci viro nobilitate generis haud inferior, pietate autem æqualis. FRANCISCUS ab optimis hisce parentibus sancte educatus quam bonam sortitus esset animam indubiis in ipsa pueritia, atque in ipso juventutis flore indiciis demonstravit. Adhuc enim puer a puerilibus levitatibus fuit semper alienus, & cum excessit e pueris a vitiorum illecebris semper abhorruit. Majora tamen divina de eo disponente gratia, factum est, ut cum vigesimum ætatis suæ annum attigisset, gravissima, & molestissima tentaretur infirmitate; prius quippe vehementi febri laboravit, ac deinde morbus elephantiæ similis ita ejus totum infecit, fædavitque corpus, ut de ejus vita conclamatum fore putaretur. In hac tribulatione positus, & superno lumine illustratus, quid sit homo, & mundanarum rerum vanitatem intimius agnoscens, statuit in corde suo, si convaluisset, sese prorsus divino, proximique mancipare servi-

tio , Convaluit : nihilque inde habuit antiquius , quam ut , quæ proposuerat , exequeretur alacriter .

Interea FRANCISCUS Neapolim se contulit , atque ut se Deo arctius conjungeret , & in charitatis opera ferventius incumberet , sacris eruditus litteris , & sacerdotio initiatus Sodalitio *de Bianchi* vulgo nuncupato , cui extremo supplicio damnatos verbis , aliisque pietatis operibus auxiliandi , & levandi præcipua cura est , adscribi voluit ; quod quidem eximiæ charitatis officium quoad vixit summo animi fervore , ac summa animarum præstitit utilitate . Assidue autem Deum deprecabatur , ut ei viam ostenderet , qua fideliter impleret , quæ proposuerat ex animo . Hæc vota Dei benignitas , & insperata quidem ratione , diu non distulit exaudire . Quandoquidem FRANCISCO in prælaudati Sodalitii sacello oranti , & adhuc Ascanii nomen , in sacro Baptismatis fonte ei impositum , retinenti epistola traditur , qua Augustinus Adorni , nobilis Januensis , & Fabricius Caracciolo , Regularem instituere Ordinem meditantes , alterum de Familia CARACCIOLO , cui etiam nomen Ascanius , in suorum consiliorum partem vocabant . Epistolam deferentis errorem FRANCISCUS nullimode suspicatus , sed solum exoptatam , quæ ipsi offerebatur , læto volvens animo occasionem , nulla interposita mora prælaudatis Augustino , & Fabritio se fidissimum adjutorem exhibuit , qui divinæ mentis consilia demirantes , illum libentissime in tanti operis Socium recipiunt .

Mira

Mira hoc modo conflata trium piissimorum Virorum Societate in Camaldulensium Eremum prope Neapolim illi se abdiderunt, ut ibi liberius orationi., jejuniis, aliisque vitæ austeritatibus vacantes, necessariam sibi a Patre luminum ad novi Ordinis leges decernendas opem compararent. Legibus conditis Augustinus, & FRANCISCUS Romam veniunt, tum Ordinis tum earumdem legum a Summo Pontifice approbationem impetraturi. Supremum Ecclesiæ clavum tenebat Sum. Pontifex Xistus V., qui illos perquam humaniter excepit, eorumdemque postulatis plene satisfecit Bulla sub die prima Julii anni 1588., quæ incipit *Sacræ Religionis*, quæque summam Ordinis Legum exhibet, referens illius Alumnos *non solum tria vitæ religiosæ substantialia vota Paupertatis nempe, Castitatis, & Obedientiæ retinere, sed etiam continuis orationibus spiritualiumque operum exercitio, & aspera Carnis maceratione ad suarum, aliorumque Christifidelium animarum salutem, & profectum vacare debere, quibus etiam ecclesiasticas dignitates non ambiendi, neque acceptandi, nisi Sum. jubente Pontifice solemne votum tunc additum fuit*; voluitque prælaudatus Sum. Pontifex, ut Ordo a cæteris Clericorum Regularium, humilitatis ergo, Minorum nomine discerneretur.

Post hæc Augustinus, & FRANCISCUS spirituali gestientes gaudio Neapolim redeunt, & Dominica in Albis insequentis anni coram Vicario generali Emi Archiepiscopi Neapolitani solemnem pro-

fessionem emittunt , & inde ambo simul Ordinis propagandi zelo Hispaniam petunt ; Sed cum ipsorum desiderium felicem tunc exitum haud habere posse viderent , re infecta Neapolim repetunt . Mox , biennio scilicet vix elapso a solemnibus nuncupatis votis Augustinum Adorni immatura mors rapit , qui maximum sui desiderium , ac præclarum suarum virtutum reliquit odorem . Hinc omnis propagandi , augendique Ordinis sollicitudo in FRANCISCUM devolvitur , qui primo Neapoli , deinde in Hispania , & postea Romæ Sui Ordinis domicilia fundavit . Verum in Hispania , quo semel , & iterum pedes mendicans , & aspero præcinctus cilicio perrexit , multa perferre , multumque elaborare debuit priusquam , quod optabat , perficeret . Inimicus enim homo zizaniis , calumniis acerrime conatus est, ne FRANCISCUS in multam illam messem suos etiam operarios mitteret , qui tamen virtutum quo fulgebat splendore , & Catholicorum Regum Philippi Secundi , & Philippi Tertii patrocinio , & munificentia cuncta strenue vicit , ac superavit .

Enim vero theologicam FRANCISCI fidem admirabantur omnes , quam & ingens illius in ea alios cathechesi , & concionibus erudiendi studium declarabat indubie , & quam ejus vitæ sanctitas evincebat in primis . Nec minus theologica illius spes elucebat , qui ad mortem usque terrena quævis constanti despexit animo ad cœlestem solam , æternamque justitiæ coronam anhelans , quam sibi Dominum justum Judicem redditurum certo certius habe-

be-

bebat. Firmissima autem hæc FRANCISCI cœlestium bonorum spes cum pari ejus conjungebatur fiducia ; qua suum animum inducebat , numquam sibi in quavis etiam rerum temporalium necessitate Dei opem defuturam : quæ quidem eo semper præsentior , quo firmior erat fiducia . Et sane aliquando ex Hispania rediens FRANCISCUS , ejusque Socio jamjam ob famem & sitim deficiente in via ; dum illum ne ullimode de superno hæsitet auxilio vehementer exhortatur , repente capream mapalia introeuntem videt , illamque cum Socio sequens scutellam cum panis frustulis paratam invenit , quibus , capreæque lacte cum Socii , tum suas vires reficere valuit . Idem jam sacris vestibus indutus Sanctum Sacrificium celebraturus , significanti neque vinum , neque pecuniam domi , qua emeretur , haberi , Deum consulturum respondit , & statim copiosam ferens eleemosynam fuit ad limen . Plurima alia narranda suppeterent , sed hæc retulisse satis esse videtur . Nihil vero , quam Dei charitas ; quæ abunde in FRANCISCI corde diffusa erat , splendidius eminebat . In familiari sermone nihil illi dulcius , quam de Deo loqui ; in sacris suis concionibus nihil illi frequentius , quam de Dei amore verba facere ; ac tantus erat divinæ charitatis ignis , qui intus accendebat , ut in FRANCISCI vultu sese quoque proderet manifeste . Quamobrem tum in Hispania ; tum in Italia divini amoris promotor , & concionator appellabatur . Eucharistici Sacramenti adorationem ad integras usque noctes protrahere consuevit ,

& tunc ita amantissimis præsentem animæ suæ dilectum alloquebatur verbis, ut cor ejus tamquam cera liquesceret, lacrymas oculi profunderent, & exclamare cogeretur = *zelus domus tuæ comedit me* = Præterea exoptans, ut sui Ordinis Alumni parem cœlestis Eucharistici panis cultum æmularentur, statuit, ut illi quotidie per vices in ejusdem cœlestis panis adoratione occuparentur, & hoc pium exercitium veluti potissima sui Ordinis tessera servaretur.

Fieri autem minime poterat quin proximum impense diligeret, qui adeo vehementi in Deum amore æstuabat. Et sane FRANCISCUS diu noctuque super egenum, & pauperem intelligebat. Quandoquidem jamjam monasticam professurus vitam cuncta, quæ possidebat vendidit, illorumque pretium dispersit, & pauperibus dedit. Post solemnem vero emissam professionem non erubuit ad pauperum sublevendam inopiam stipem in publicis viis emendicare. Egenis matronis quotidie victum subministrabat, ac tres in hebdomada dies solo pane, & aqua transigebat, ut ejus abstinentia pauperum refectio fieret. Inter pauperes ad religiosæ domus januam de more eleemosynam expectantes, cum unum hyemali tempore ferme nudum, & frigore pene exanimem inspexisset exteriori tantum sibi relicta veste cetera sua indumenta illi tradidit. In carceribus detentos amicissimis verbis, & alio quovis modo solari satagebat. In nosocomiis frequens erat, ægretisque prima catholicæ fidei rudimenta expo-

exponebat, sancta consilia, & adhortamina suppeditabat, & in re qualibet prompte, hilariterque inserviebat. Iter agens, in locis, in quibus pernoctabat statim ad infirmos, si aderant, convolabat, illisque attente, ac demisse famulabatur; si quos vero in extremo mortis agone versantes inveniebat, iis, qua Sacris precibus, qua fervidis adhortationibus flexis genibus spirituale præbebat auxilium, nec eos deserebat, donec inter hujusmodi suæ charitatis officia expirassent. Cum a Summo Pontifice Paulo V. petiisset, obtinuissetque ut Suo Ordini Urbis Paræcia S. Laurentii in Lucina administranda traderetur, dilatatum est cor ejus, nactus in illa occasionem exercendæ charitatis frequentissimam, Porro æternæ proximi salutis studium FRANCISCI medullis, ac visceribus inhærebat. Hinc ad Sacramentales excipiendas confessiones semper patientes, libentesque aures præbuit. In scelestorum conversione procuranda non solum verbis, sed etiam oratione, jejuniis, suique corporis flagellatione perpetuo solicitus: Ne puellarum periclitaretur honestas corrogatis eleemosynis aut matronis, aut asceteriis illas custodiendas, & instituendas tradebat, sive ut provide nuberent curabat, illique proinde præclara adeo charitatis documenta jure, & merito nomen Patris pauperum, & charitatis promeruere. Hanc præstantissimam virtutum copiam iis aliis cumulavit, quas omni sedulitare excolere ad evangelica profitentem consilia omnino pertinet, & convenit. Enim vero veluti gigas evangelicum stadium præ-

cucurrit ; voluntariæ siquidem paupertatis culto. fuit eximius : sæpe non aliam sibi cellam, quam domus angulum reservabat. Nulla sibi mensa jejunio lautior, & jucundior. Ut perbrevem suo corpori quietem indulgeret, lectulo plerumque tabula, aut humo commodiori non utebatur, nec umquam ipse sibi ornatior videbatur, quam cum ipsi attritam, & laceram induere vestem liceret.

Mentis corporisque puritatem cura, qua nulla major, custodivit, servavitque. Ab effronti muliere impulsus, ut caderet, divina protegente gratia, vaferrimæ elusit artes, & impudentiam increpavit, quæ inde facti pœnitens, ad ejus pedes provoluta a Deo, & ab ipso lacrymans veniam expostulavit. Porro carnis tyrannidem ita compescuit, & ita corpus suum in servitutem redegit, ut homo æneus vocaretur.

Quo autem amore obedientiæ virtutem, quam omnium virtutum lidium lapidem appellabat, prosequeretur, ut cætera prætercam, vel tunc satis luculenter innotuit cum nimirum domi ante Bmæ Virginis imaginem salutationem angelicam voce paulum elata recitans a Superiore tacere jussus est: statim enim tacuit, submisit genua, & ita immobilis mansit, donec post aliquod temporis spatium, ut surgeret idem Superior imperavit. Mira hæc FRANCISCI obedientiæ virtus ab æquali ejusdem animi demissione suam potissimum ducebat originem, quæ in causa erat ut eo ipse sibi ceteris omnibus minor, & contemptibilior videretur, quo in Dei, hominumque oculis

major ;

major, digniorque erat. Electus perpetuus Præpositus Generalis Ordinis ægre admodum subiit onus, honorem admisit, quibus postea sese sponte abdicavit. Etiam dum præcipuo hoc Ordinis munere fungebatur ægrotantibus suis alumnis fercula inferebat, cubilia sternebat, verrebatque cubicula, vilia, & abjecta quævis munia præstabat, & insomnis etiam assidebat. Pro Ordinis confirmatione obtinenda Urbem sine sacculo, sine pera petens, ut nobilium, quos ejus proximus non latebat adventus, officiorum in se testificationes declinaret, sese inter pauperes ad Januam cœnobii Fratrum Capuccinorum mendicantes abscondit, & ab iisdem hospitio receptus cibum in eadem paropside cum leproso, & ulceroso libentissime, & urbanissime sumpsit. Itaque cum in FRANCISCI corde humilitatis virtus tam altas posuisset radices, nullum in eo locum bonorum, & dignitatum cupiditas ubi consisteret unquam potuit invenire. Ea de re ecclesiasticas dignitates sibi a Sum. Pontifice Paulo V. oblatas constantissime recusavit, atque in Ordine semper aliis subesse non solum avide optavit, sed etiam exoravit instanter.

At sese humiliantem clarificavit Deus supernaturalibus Donis, & præcipue sanationum gratia, & prophetiæ spiritu illum exornans. Gravissimis etiam morbis vexatos, quandoque solo crucis signo, quandoque sola manus impositione sanavit; & effræno juveni illius monita, quibus eum ad cor redire hortabatur, irridenti, intra unius horæ spatium mortem

tem denunciat; & ita evenit. Navim conscendens horridam prævidet tempestatem, omnesque ex ea incolumes evasuros pollicetur, & revera facta est tempestas magna, & periit nemo; & ne plura persequar, rediens ex sacra Lauretana Domo Bmæ Virginis, quam voti solvendi gratia veneratum adiverat, atque ad Agnonem citerioris Apruiti oppidum, Ordinis propagandi ergo, digrediens, dum illud ex præalto prospexit jugo lætus ingeminat *hæc requies mea in sæculum sæculi*, proximam ibi sui corporis dissolutionem prænuncians.

Jam diu siquidem corpore dissolvi, & cum Christo esse cupiebat, brevique sui voti compotem futurum eidem Deus in prælaudata sacra Lauretana Æde protestari dignatus erat. Altero transacto die postquam ad prædictum Oppidum pervenerat in levem febrim incidit in domo Patrum Oratorii, apud quos hospitabatur, quæ febris in sequenti die, secundo nempe Junii 1608. gravis, ac pessimæ indolis evasit. Statim igitur FRANCISCUS per generalem exomologesim conscientiæ suæ munditiem augere voluit, & sacrosancto Christi Corpore refici, ac muniri, quod etsi viribus ferme omnino destitutus, e lectulo tamen prosiliens vehementissima animi devotione, ac fervore genuflexus recepit. Cum autem alumnos suos alloqui nequiret, epistolam illis mittendam dictavit, qua eosdem ad regularis disciplinæ, omniumque virtutum amorem adhortabatur. Ingravescente morbo extremæ Unctionis Sacramenti gratia suum magis, ac magis mundari, ac roborari spi-

spiritum exoptavit. Quo major morbi vis, eo illius animi patientia, & fortitudo validiores: ac cælestis patriæ spes firmior apparebant, quæ ne umquàm deficerent modo Jesu Christi sui, ac totius humani generis Redemptoris, modo Beatissimæ Virginis, quam semper summo, filialique veneratus fuerat obsequio; ac Sanctorum se commendabat patrocinio. Pretiosa ejus appropinquante morte cum adstantes pias de more preces funderent, & ipse pro se, ut poterat cum illis orabat, atque sæpe ajebat *eamus*, *eamus*; quare quo pergeret sciscitatus *ad cælum*, *ad cælum* respondit, inter quæ dulcissima verba in pervigilio solemnitatis Corporis Christi summa mentis, & corporis tranquillitate, sereno vulto, ac ridenti ore dilectam Deo, & hominibus animam efflavit, die quarta Junii anno millesimo sexcentesimo octavo, ætatis vero suæ quadragesimo quarto.

Vulgata ejus morte confestim magnus ex finitimis quoque Oppidis hominum concursus factus est illius corpus visendi causa, ejusque manus deosculandi, ejusdemque vestis frustulum certatim proripiendi. Præconceptam de FRANCISCI sanctitatis opinionem illius corporis flexibilitas, odor, quem emittebat, suavissimus, atque prodigiosæ infirmorum sanationes confirmabant, & augebant quammaxime. Mirabantur omnes etiam illius vultus hilaritatem, quæ viventis potius, quam demortui referebat imaginem. Fertur autem, extractis ex dissecto corpore visceribus in corde davidica verba carneis

neis descripta litteris apparuisse: *zelus domus tuæ comedit me*; quæ quidem FRANCISCUS dum in humanis agebat, semper in corde, ac sæpissime habebat in ore, Ut autem pio confluentis populi desiderio fieret satis, nonnisi post triduum corpus ab illius oculis subtractum fuit, & noctis tempore citissimo itinere Neapolim, Ordinis scilicet domum Sanctæ Mariæ Majoris, delatum; atque justa ibi ab Ordinis alumnis, vehementi dolore perculsis optimo, & amantissimo Parenti persoluta, Deus prodigiis decoravit, Cum autem viginti circiter post annis in translatione corporis in decentiorem locum solemnia justa FRANCISCO persolverentur, populi singularis in illum devotio eos prætergressa est fines, quos circa cultum Dei servis ante Ecclesiæ judicium non exhibendum, recentissima tunc felicis recordationis Sum. Pontificis Urbani Octavi decreta statuerant sapientissime; quod quidem Causæ Beatificationis, & Canonizationis cursum non parum retardavit. Non prius enim 28. Septembris anno 1701. scilicet nonagesimo secundo a felici FRANCISCI obitu, Beatificationis, & Canonizationis illius Causa in Sacrorum Rituum Congregatione introducta fuit, & inde Apostolici Processus tam in genere, quam super virtutibus, & miraculis in specie constructi fuerunt, cæterisque de more juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam servatis felici successu propositum fuit dubium super heroicis illius virtutibus in Congregatione Antepræparatoria die 2. Septembris 1738. deinde in Congregatione præparato-

to-

toria die 11. Augusti 1739., & demum in Congregatione generali die 21. Martii 1741. atque Sum. Pontifex Benedictus XIV. die 23. Aprilis 1741. Sacræ Congregationis Sententiam approbando declaravit = *heroicas* Servi Dei *virtutes ita probari, ut tuto deveniri possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem miraculorum, sed cum ex Testibus de auditu tantum multiformiter licet adminiculatis, fuerint probatæ, ad SERVI DEI Beatificationem non ante deveniendum esse censuit quam Miracula omnino quatuor probarentur ex Testibus de visu, atque approbarentur juxta formam Decreti editi eadem ipsa die* 23. *Aprilis, quæ fuit Dominica tertia post Pascha*.

Verum hic silentio prætereundum non est tantam miraculorum famam post FRANCISCI obitum, & ante prædicti dubii super Virtutibus discussionem illustrem, ac celebrem illius reddidisse Sanctitatem, ut nonnullorum Eminentissimorum Cardinalium Congregatio die 18. Septembris 1736. declaraverit, quod ob peculiares ejusdem Causæ circumstantias possent Sacræ Rituum Congregationis Consultores in earumdem virtutum judicio, etiam miracula, si vellent, præ oculis habere.

Absoluto virtutum judicio, de *Servi Dei* Beatificatione agere inceptum est, & octo miracula in consuetis tribus Sacrorum Rituum Congregationibus, nimirum in Antepræparatoria die 9. Maii 1747., in Præparatoria die 28. Januarii 1749., & in Generali die 16. Maii 1752. approbanda proposita fuerunt

runt, ex quibus prælaudatæ Sac. Congregationis Patribus duo tantum approbatione digna unanimi sensu visa sunt, quo prius excepto, Benedictus XIV. die 19. Septembris 1752. amplissimum edidit Decretum, quo de duobus miraculis in tertio genere constare declaravit; *De sanatione scilicet Januarii Cappelli, qui invocato* Dei Servo *liberari in instanti obtinuit ab ulcere cancrenoso, pro cujus tentanda sanatione Chirurgus die sequenti ignem decreverat*, & de altera sanatione *Philippi Rubinacci ad extremum deducti ob lapsum ab eminenti loco sequuta ossium luxatione, & fractura, quique, invocato a domesticis SERVO DEI, necnon ab ipso infirmo per internum cordis affectum, in instanti sanitatem, liberumque, & expeditum totius corporis motum obtinuit nulla adhibita medici ope, aut chirurgi manu*.

Dum autem de hujusmodi miraculorum approbatione agebatur, duo alia ad SERVI DEI invocationem patrata sunt miracula, quæ opportune possent quatuor miraculorum complere numerum statutum in prædicto Benedicti XIV. Decreto diei 23. Aprilis 1741. Idcirco eadem miracula in tribus, uti supra, Sac. Rituum Congregationibus, nempe Antepræparatoria die 2. Junii 1761., Præparatoria die 23. Februarii 1768., & Generali die 13. Septembris 1768. discussioni subjecta, & approbata fuerunt. Quamobrem Clemens XIII. die 30. Novembris 1768., & jam duo approbata miracula publicare decrevit, *& simul de aliis duobus noviter propositis*

sitis miraculis constare in tertio genere declaravit, repentinæ nimirum sanationis Caroli de Vivis a copioso, & immodico ex ore sanguinis effluxu, ac pravis symptomatibus, quæ eum ad deploratum statum redegerant cum instantanea, & perfecta deperditarum virium reparatione; & alterius pariter repentinæ sanationis Antoniæ Niglio ab immanibus doloribus ischiadis motum omnem inhibentis, & intestinorum, adjecta gravi, continuaque febri, aliisque gravibus symptomatibus, viribus illico restitutis.

Post hæc, videlicet mense Februarii 1769. e vivis sublato Clemente XIII., ejus immediatus Successor Clemens XIV., qui Causæ Ponentis munus etiam ad Summi Pontificatus apicem evectus retinere dignatus erat, Ordinis precibus, ut concederet, opus non esse proponere in Sac. Congregatione dubium an tuto deveniri possit ad SERVI DEI Beatificationem, rescripsit *Sanctissimus uti Causæ Ponens, attentis peculiaribus circumstantiis in Causa, de qua agitur, & ex speciali gratia benigne annuit precibus; adeoque expediri jussit consuetas Litteras Apostolicas in forma Brevis, quarum initium = Ad Supremum Apostolatus Ministerium = sub die* 4. *Junii, qui fuerat ejusdem Coronationis dies, pro solemni VEN. SERVI DEI Beatificatione celebranda in festo Sanctissimi Nominis B. M. Virginis servata forma &c. & quibuscumque in contrarium non obstantibus &c.*

Vix peracta solemni FRANCISCI Beatificatione,

ne, ad illius intercessionem miracula noviter patrata ferebantur. Itaque singulis, quæ servanda erant, servatis, duo ex illis in Congregationibus scilicet Antepræparatoria die 27. Augusti 1782. Præparatoria die 2. Augusti 1785., & Generali die 28. Novembris 1786. discutienda proposita fuerunt pro solemni Canonizatione assequenda, quam vel ipse Deus quasi properare videbatur. Horum miraculorum primum *fuit instantaneæ, perfectæque sanationis Agathæ Montellæ Romanæ ab ulcere fistuloso in cavum pectoris penetrante, febrique lenta comite, cum virium integra recuperatione. Secundum subitæ, integræque sanationis Angelæ Nardi Romanæ a teterrimo Cancro in regione lienis*, & utrumque constare in tertio genere unanimis Sac. Rituum Congregationis sententia fuit; & ita Pius VI. die 17. Decembris ejusdem anni 1786. solemniter declaravit; qui demum die 15. Augusti 1790. post solitam Generalem Congregationem solemniter pariter declaravit *Tuto* procedi posse ad solemnem B. FRANCISCI Canonizationem.

Unum igitur reliquum est, ut biscentum jam jam elapsis annis, ex quo fidelis DEI SERVUS FRANCISCUS in Domini sui gaudium intravit, modo eidem cœlestes in terris decernantur honores, quemadmodum Clericorum Regularium Minorum Ordo suppliciter exoptat.

F I N I S